



**Commentariorvm, Ac Dispvlationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Illvstrissimo ac Reverendissimo Domino, D. Andreæ Pacieco Episcopo
Segoviensi, Gabriel Vazquez Theologvs, Societatis Iesv S. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)



ILLVSTRISSIMO

A C

REVERENDISSIMO DOMINO,

D. ANDREÆ PACIECO
EPISCOPO SEGOVIENSI,

GABRIEL VAZQUEZ THEOLOGVS,

SOCIETATIS IESV

S. D.

EX quo primum, Illustrissime Prasul, tres illos de cultu adorationis libellos lucubrationum nostrarum primitias, & quasi specimen quoddam tuo nomini consecraui, nec parum, nec semel mecum ipse dubitavi, utri maiorem ansam prae- buissem, tibi ne maius aliquid in posterum a me expectandi, an mihi offerendi. Nam tametsi opusculum illud tibi non iniucundum, alijs vero etiam pergratum fuisse intellexerim, tamen id ipsum cum minus multo maximis tuis erga me meritis, tum mea tibi gratificandi voluntate longe inferius fuisse merito semper iudicari. Quare, ut illud operum nostrorum praeludium, & quasi prooemium, leue quoddam (si operis tenuitatem spectes) gratitudinis erga te mea symbolum fuerit, tum praesens opus, quod lucubrationum nostrarum secundum locum obtinuit, tibi a me dicatum, manifestius paulo indicium amoris erga te me fore confido. Et quamvis hac potissima tibi operis huius dicandi causa mihi extiterit, accessit tamen eodem nobilitas tua, amplitudo tua, eruditio tua, quae, tametsi nihil me tibi debere intelligerem (plurimum autem debere intelligo) satis me: superque ad hoc ipsum praestandum per se inuitabant. Quem enim huic operi, quod materia nobilitas, amplitudo, & eruditio commendat, nisi nobilitate, amplitudine, eruditione Principem patronum asciscere debui? Quae quidem omnia cum Deus Opt. Max. summa in te (Clarissime Prasul) esse voluit: tum tu tua erga me merita nec leuia, nec pauca esse voluisti. Quare operis huius munus primum maximis tuis erga me meritis, deinde etiam nobilitati, amplitudini,

tudini, eruditioni tua debitum sic accipies, ut quod pro operis magnitudine, magnum fortassis alicui videbitur, tu pro mea tibi gratificandi voluntate, atq; desiderio tenue, atq; exile fuisse scias. Vale. Ex Collegio Societatis Iesu, Compluti. Anno 1598.

A P P R O B A T I O.

Secundum hunc Tomum Commentariorum, & Disputationum Patris Gabrielis Vazquez è Societate Iesu in primam partem S. Thomæ iussu supremi Senatus regij accuratè, & cum summa voluptate perlegi, nihilq; in eo, non Orthodoxæ fidei congruum, nihil non Sanctorum Patrum testimonio, vel confirmatum, vel illustratum, nihil deniq; non authoris sui ingenio, atque eruditione dignum reperi. Quare si typis mandetur, non modo omnibus ubique omnium Theologorum Scholis, verum toti Ecclesiæ ingentem utilitatem allaturum cenfeo. Madriti apud Sanctum Philippum Kalendis Februarij, Anno 1596.

F. Henricus Enriquez.

ALTERA APPROBATIO.

Ego Franciscus Porres Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Golectana, potestate ad id mihi concessa à R. admodum P. Claudio Aquaiua Præposito nostro Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur secundus Tomus Commentariorum, & Disputationum in Primam partem S. Thomæ compositus à P. GABRIELE VAZQUEZ Theologo, Societatis Iesu, & grauium, Doctorumque hominum iudicio nostræ Societatis approbatus: in quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, Sigilloque nostro munitas dedimus in domo Iesu de Monte die duodecima Septembris, Anni 1595.

Franciscus Porres.